Dissertatio medica inauguralis de phthisi ... / eruditorum examini subjicit Gulielmus Pitts Dimsdale.

Contributors

Dimsdale, William Pitts.
Fullartoun, John
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et socii, 1799.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/bnanru2f

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

2.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

PHTHISI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS PITTS DIMSDALE,

ANGLUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN.

SOC. EXTRAORD.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

MDCCXCIX.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI.

MORBUS de quo dicturus ſum attentionem medicorum ſemper ſibi vindicavit; etiamſi operam haud exiguam in hujus natura et curatione inveſtigandis viri clariſſimi collocaverint, fatendum tamen eſt, nullum omninò dari, ne peſte ipſâ exceptâ, qui ſit hominibus infeſtior, omnemque medicinam magis contemnat.

Phthiſis ſic a CULLENO definitur: "Corporis emaciatio et debilitas; cum tuſſi, febre hectica, et plerumque expectoratione purulenta."

Tuſſis ſæpe quidem ab initio ita mitis eſt, ut vix animadvertatur, et ab ipſo ægrotante ejuſque familiaribus a catarrho oriunda judicetur; interea vero vires acquirit eundo, ſæpiſſimèque fit moleſtiſſima antequam ad eam ſiſtendam, maloſque frigoris effectus avertendos, ſeriò ſeſe accingunt. Exſcreatio quæ primo morbi ingreſſu parca erat, eodem invaleſcente fit copioſior; neque jam ut olim, perlucens glutinoſuſque mucus expuitur, ſed opaca, friabilis, purulenta denique materies, quæ, eheu! apertè nimis quo morbus tendat oſtendit.

Variis modis uſi ſunt clinici, quò quid interſit diſcriminis mucum inter et pus in medium proferrent; non deficiunt certè ſuæ laudes experimentis quæ de hâc re inſtituit ingenioſus

niosus vir CAR. DARWIN, magis vero obvia HIPPOCRATIS methodus, quæ a specifico istorem fluidorum pondere petitur, nuncque frequentiùs usurpatur : pus etiam fœtore suo commodè a muco distingui potest.

Brevissimo tempore post morbi exordium, comitum habet hecticam febrem ; hujus vero historia tam minutatìm et eleganter a CULLENO describitur, ut longè satius fuisse mihi videar si ipsius verba referam. " A hectic fever has the form of a remittent, which has exacerbations twice every day. The first of these occurs about noon, sometimes a little sooner or later ; and a slight remission of it happens about five afternoon. This is soon succeeded by another exacerbation, gradually increasing, till after midnight ; but, after two o'clock of the morning, a remission takes place, which becomes more and more considerable as the morning advances. The exacerbations

acerbations are frequently attended with ſome degree of cold ſhivering, or, at leaſt, the patient is exceedingly ſenſible to any coolneſs of the air, ſeeks external heat, and often complains of a ſenſe of cold, when, to the thermometer, his ſkin is preternaturally warm. Of theſe exacerbations, that of the evening is always the moſt conſiderable."

Febris illa, auctore CULLENO, ortum ſuum habet a peculiari quâdam acrimonia; quæ ipſa ab ulceribus eſt oriunda; hujus vero acrimoniæ natura nos penitùs latet, interea vero, quotidiana nos docet experientia ulcera diutiùs adeſſe, imo etiam ingentem vim puris in venas reſorberi, quin ulla hectica febris oriatur; id etiam in profeſſo eſt, ſæpiſſime adeſſe febrem hecticam, quin ulla puris vel leviſſima particula detegi poſſit: facile aſſentimur CULLENO, cum docet, poſitâ illâ acrimoniâ pro-

priorum

priorum huic morbo ſignorum rationem in promptu eſſe; ſed ut illuſtriſſimi cujuſdam ſcriptoris verbis utar: "Suppoſer ce qu'on ne voit pas, croire ce qui eſt contredit par l'experience, c'eſt ſubſtituer des ſonges à des objects réels, c'eſt embraſſer l'erreur pour la vérité, et adopter des chimères pour des faits."

Non longô poſt febris hæc ſeſe prodiderit, copioſiùs plerumque profluunt ſudores, præſertim qui veſpertinas exacerbationes excipiunt; morboque incrementa capiente, iidem immanes evadunt; urina vero parcior redditur, et coloratior, et non exiguam ſedimenti vim deponit; multa exempla extra dubii aleam poſuerunt, mirabile inter eas quæ per cutem et quæ per renes fiunt excrétiones adeſſe æquilibrium; ita ut ſi parciores illæ, hæc copioſiores evadant; ſic diabetes cutem aridam caloremque imprimis ad volas manuum

nuum et pedum urentem habet, omniaque ſymptomata vix ullum ſudori exitum patere oſtendunt: coloratior urina, ſalibus non ut decet dilutis, omnino tribuenda eſt; non tantùm medici noſtris temporibus huic urinæ conditioni confidunt, quantum majores confiſi eſſent; interque aniles fabulas hodiedum numeratur eorum opinio, qui reliquias morbi cum ſedimento deponi arbitrabantur; verum enimvero, probe novimus, eò coloratiorem plerumque urinam eſſe futuram, quò parcior ſit ejuſdem copia.

Arida lingua immaniſque ſitis hanc febrem rariùs ſtipantur; aphthæ quæ aliquando in ore erumpunt, vix ullam ſalutis ſpem habent: pallida plerumque eſt facies, exacerbeſcente vero febri genæ leviter ſeu hecticè rubeſcunt. Adnata oculorum membrana albidum margaritarum colorem refert; uno verbo, tota oris forma emorientes ægrotantis vires oſtendit,

non

non vero eventus terrore depreſſum animum; ſpem enim alit æger, vel morbo ad exitium properante; ſibique blandicus paucis nonnunquam horis antequam mors finem miſerrimæ vitæ imponit, de futuris cum amico colloquitur.

Alvus à primo morbi ingreſſu eſt plerumque pertinaciter adſtricta, febre vero ingraveſcente præter modum fit laxa; neque ſibi eſt conſtans alvi fluxus, ſolummodo per intervalla redit; obſervaverunt clinici eo parciores fieri ſudores, quô fit immanior diarrhœa.

Primas omnino tenet inter varia morbi ſymptomata corporis extenuatio et macies; quæ quidem aliquando tanta fit, ut oſſa ſolâ cute tecta appareant. Capilli defluunt; ungues incurvantur; lethale ſignum dixit HIPPOCRATES ſi capilli et alvus ſimul defluant. In fœminis cum aliquandiu morbus perſtitit,

menſtrua

menſtrua fluere prorſùs deſinunt; hunc morbi effectum, mulierculæ plerumque ejuſdem eſſe cauſam arbitrantur. Morbo jam provecto, maximus adeſt virium lapſus; œdematoſus fit æger, imprimiſque intumeſcunt pedes, atrocior eſt diarrhœa, parcior vero ſudor, delinquit animus, delira et abſona nonnunquam effutiuntur, mors tandem tragædiam abſolvit.

CAUSÆ.

Inter cauſas quæ corpus huic morbo opportunum faciunt, primas manifeſtò ſibi vindicat ſcrophuloſa indoles quæ à parentibus ad prolem tranſmittitur; hujus vero indolis natura nos penitus latet, ſuos effectus præcipuè in ſyſtemate lymphatico obvios habet, et vix unquam ſtrumoſos tumores in aliqua corporis

parte

parte reperies, quin etiam tuberculis pulmones inficiantur; hic nexus quo tuberculæ aliique ſtrumoſi tumores inter ſe connectuntur, plurimorum ſcriptorum attentionem ſibi vindicavit; et a GREGORIO noſtro, in aureo ſuo quem de morbis cœli mutatione medendis in lucem edidit, libello ſic deſcribitur.

" Eandem ſpeciem externam, et, ſi cultro inciduntur, internam habent; eandemque ſpiſſitatem et duritiem: eodem modo, a parvo initio ad molem ſæpe magnam paulatim creſcunt, et plèrumque ſine magno dolore aut moleſtiâ; tardè et ægrè ſuppurant, et nunquam in ſuppurationem benignam abeunt, ſed ulcera fœda et vix ſanabilia relinquunt. Eodem anni tempore ambo ſe oſtendunt, hiemali ſcilicet aut verno; accedente æſtate, levantur, aut diſſipantur, at, reverſo hieme ambo ſæpe redeunt. Denique in ſectionibus cadaverum

eorum quos ſcrophula plane occidit, tumores ſcrophuloſi in omnibus corporis partibus, et tubercula in pulmonibus ejuſdem ſpeciei, haud raro reperiuntur."

Si quis vero auctore BEDDOES urgeat nos hujuſmodi naturam non expoſuiſſe cum illum ad ſcrophulas retulimus, ſi quidem ipſa ſcrophularum natura ſit in obſcuro; fatentes reos habebit, verum enimvero cum hujus rei notitia tantis undique prematur difficultatibus, ſatius ſanè eſt noſtram ignorantiam plane agnoſcere, quam vanis indulgere commentis quorum probatio à paucis tantum rebus factis petitur, quarum ratio melior longèque planior alia reddi poſſet: non tamen omnino rejiciendæ mihi videntur hujuſmodi inveſtigationes, ſic enim ſcientia noſtra adornatur locupletaturque, ſic medicus ab empirico diſtinguitur; hoc vero ſemper memoriâ tenendum eſt, non conjectan-

do

do naturæ arcana eſſe detegenda : non tantùm certe eſſet medicinæ opprobrium, neque tot tamque abſurda detegerentur in medicis lucubrationibus, quæ ab HIPPOCRATIS tempore ad noſtrum uſque diem exaratæ fuerunt, ſi ad res ſolas factas et veras inveſtigandas ſemet medici gnaviter accinxiſſent.

Catarrhus qui in primis apud noſtrates frequentiſſimus reperitur, phthiſin ſæpiùs procreaviſſe exiſtimabatur, immerito quidem; niſi in iis quorum pulmones tuberculis jam fœdabantur; verum enimvero catarrhus mucoſam naſi, faucium, et bronchiarum, membranam aggreditur, et auctâ ſecretione, morbus tolletur. Phthiſis vero ipſos pulmones inficit, qui niſi principiis obſtiteris, ſuppurabunt.

Inter excitantes phthiſeos cauſas, in iis ſaltem quorum pulmones ad labem jam ſunt pro-

clives

clives facti, fortaſſe hœmoptyſis eſt annumeranda; quæ tamen morbi ſymptoma ſæpius quam cauſa erit, cujuſquidem rei facilis admodum et obvia ut opinor eſt ratio, tota pulmonum compages conficitur ex exilibus bronchiarum ramulis, parvis quæ aërem recipiunt veſiculis, vaſculis ſanguiniferis, abſorbentibus, et nervis, quæ omnia exili membra celluloſa inter ſe connectuntur; unde fit, ut breviſſimo tempore ſi adſit ulcus, ramuli aliqui corrodantur; ſi minutiſſimi ſolummodo ramuli abrodantur, exſcreatio ſanguine erit diſtincta, ſi majores vero immanis ſanguinis vis erumpet.

Animadvertit MORGAGNI eos ſæpiùs phthiſi laborare qui lapidibus incidunt, inhalatis videlicet minutiſſimis lapidum particulis, quibus irritantur pulmones et ad inflammationem excitantur; idem de hominibus molariis, linteonibus, &c. propter ſimilem omnino cauſam obſervatum eſt.

Phthiſis

Phthifis profecto à tuberculis frequentiffime eft oriunda; de iftorum vero naturâ, et modo quo enafcuntur, nihil omnino certi novimus; docebat quidem SAUVAGE, concretâ in glandulis bronchialibus lymphâ, eafdem fore fchirrofas; hæc vero doctrina vix ad nodum folvendum valere reperietur; verum enimvero demus lympham revera in glandulis unquam concretam fieri, quod quidem minime probatum eft, imò etiam rationi maxime abfonum videtur quid inde colligi poteft, tubercula ubique pulmonum reperiuntur, glandulæ vero fuperficiem tantùm amant.

Diverfæ admodum magnitudinis funt tubercula, alia vel leviffimum granulum mole fuâ vix æmulantur, alia dimidium digitum altitudine referunt; non nunquam in congeries conglomerantur, quæ parvam molem habent; funt folida, albida, cartilaginem texturâ fuâ æmulantur; fecta, lævem, perlucentum, uniformemque

formemque habent ſuperficiem; in quibuſdam foramina parva vides, grandiora facta cavitates habent, in quibus plus minuſve puris continetur; tuberculum à quo pus dimanat vomica dicitur. In quibuſdam exemplis, numero quidem paucis, calcaria materies exſpuebatur, hujus autem origo penitus nos latet.

Homines quindecimum inter et trigeſimum quintum annum potius aggreditur phthiſis, pauca tamen exempla habemus in quibus ætate provectos enecavit. Fœminæ quam mares huic morbo ſunt opportuniores.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Incipiens phthiſis miti ſimillima eſt catarrho, et nonnullam ſalutis ſpem habet; cum jam ſuppurati ſunt pulmones, vix quinquageſimus quiſque inſtitutis de hâc re calculis, à morbo convaleſcet.

CURATIO.

Cum morbi cujuſvis cauſæ ſymptomatumque natura ſunt in aprico, generalem curatoriam indicationem inſtituere poſſumus, quâ niſi forſan unexpectata quædam accidant ad felicem exitum perducatur; res verò longè ſe aliter habet in phthiſi, nam peculiaris illa

indoles

indoles qua corpus huic morbo opportunum evadit, denſâ adhuc ut jam innuimus caligine merſa eſt; quotidianaque nos docet experientia minimè fidendum eſſe innumeris illis remediis, quæ efficaciſſima et nunquam ſpem fallantia laudantur.

Quoniam vix ulla ſpes ſalutis in phthiſi pulmonali affulget, cauſæ quæ malo originem aut occaſionem dare noſcuntur diligentiſſimè ſunt arcendæ: ſi quis igitur ortus à parentibus hâc labe defunctis morbo huic ſe opportunum oſtendit, ad eas migretur regiones, in quibus non ita repente, ac in noſtris frigus calorem excipit; tam ſubitæ enim ſunt vices quas cœlum noſtrum ſubit, ut nonnunquam poſtera dies heſternâ 20° frigidior evadat; frigore vero tam repentè corpori admoto, ſanguis per externa ægriùs means ad pulmones majori quam decet copiâ refluit, ficque morbum procreat. Si autem res arctæ domi locum

cum mutari non patiuntur, diligentiſſima veſtibus detur cura; maxima profecto veſtium utilitas præſertim in Britannia noſtra, quæ tam ſubitas tempeſtatis mutationes habet; cum igitur tam frequens apud noſtrates, et quaſi iiſdem propria ſit phthiſis, nonnihil fortaſſe culpanda eſt eorum de veſtibus incuria.

Sit victus eorum qui ad phthiſin ſunt proclives concoctu facilis, tenuis, qui tamen corpus alat et reficiet; etiamſi hæc quibuſdam majoris quam par eſt videantur momenti, nemo tamen qui non videat, ſi plus æquo oneratur diſtenditurque ventriculus, hoc ipſo liberum pulmonum motum impediri, ſicque morbum foveri: lac, olera, fruges, commode porrigentur; in partem laudis forſan non minimam quæ lacti aſinino tribuebatur, veniunt campeſter aër, hilaritas, quæ hujus lactis uſum comitari ſolent.

Idonea exercitatio quæ vires reficiat et renovet, inter phthiſeos remedia certe primas tenet; minime vero aſſentimur SYDENHAMIO qui docet, "tantum valere equitationem ad phthiſin curandam, quantum mercurium ad luem veneream, aut chinamchinam ad febres intermittentes;" etiamſi mirum in modum aliis remediis opitulatur, aut fortaſſe primo morbi ingreſſu, et antequam graviora urgeant ſymptomata, ſola curam abſolvat. Navigatio omnibus fere qui de hac re ſcripſerunt annuentibus, inſigne commodum et excellentiam habet; nonnulloſque phthiſicos de quibus jam pene conclamatum fuerat, ad vitam quaſi revocavit; plurimi acutiſſimique viri operam haud exiguam collocarunt, in inveſtigando modum quo tam ſalutaris effectus locum obtineat; tam parum vero ſibi conſentiunt eorum opiniones, ut prorſùs prætermittendæ mihi videantur.

Plurimum

Plurimum a quibuſdam laudabantur emetica, neque ſuæ iis fortaſſe deſunt laudes, cum primo morbi exordio, aut etiam per ejuſdem decurſum parce longiſque intervallis adhibentur; congeſtiones enim materiæ ſi quæ ventriculum exonerant, ſolvent diſpellentquè; Doctoris Reid ſententia qui ea bis de die porrigenda contendit, minime tuta mihi videtur; imo etiam bonos effectus qui a navigatione defluunt, nauſeæ quam excitat eſſe tribuendos plane affirmat; maxima tamen utilitas a navigatione aliquando percepta fuit, cùm nulla nauſæa occurrerat; et Doctor Jac. Car. Smyth in libello, quem de libratione ad phthiſin debellandum maxime valente edidit, omnino afferit, navigationem nauſææ vacuam melius eſſe profuturam: minimè quidem rationi abſona videtur eorum ſententia, qui emeticis quæ certe ad vires refocillandas nihil omninò valent, non promiſcuè liberiorique manu eſſe utendum contendunt; niſi jam multa nos

docuerit

docuerit experientia, iiſdem morbum mitiorem nullomodo vero atrociorem effici.

Incipiente phthiſica affectione, ſi adſunt inflammationis ſigna, tuſſis moleſtior, et ſicca, nimia humorum abundantia, a venæſectione non eſt abſtinendum; nonnulli per morbi etiam decurſum, parcâ quidem manu, ſed iteratis vicibus, ſanguinem ſubinde detrahendum judicabant; iſta vero medendi ratio manifeſti periculi tam plena eſt, ut nullum ni fallor hodiedum habeat fautorem, proindeque non ſit fuſius diſcutienda: verum enimvero generalis ſanguinis detractio impetum verſus pulmones nihil minuit, dum corpus jam valde exhauſtum debilitatumque ut provecto morbo fieri aſſolet, etiam facit, debilius; quis enim prudens medicus ad venæſectionem confugiet, cùm jam exhauſtis viribus jacet ægrotans immanem puris vim continenter exſpuens? cruſta alba et tenax, niſi alia inflammationis

mationis ſigna tali remedio opus eſſe moneant, minime venam iterum ſecandam oſtendit; quidquid BOERHAAVIUS et CLIFTON WINTRINGHAM cenſuerint, plurima nos docent exempla, huic ſymptomati fidem eſſe dandam nullam; manifeſtiſſimæ pneumoniæ exemplum nuper in Noſocomio Edinenſis habuimus; ingentiſſima erant omnia inflammationis ſymptomata, nulla tamen, vel minutiſſima hujuſce cruſtæ particula ſupernatabat ſanguini, qui ad morbum debellandum profuſiùs detrahebatur: dudùm obſoluere antiqua de inflammatiorià cruſtâ commenta, probe perſpectum habemus hujus cruſtæ formam a ſanguine eſſe oriundam, qui cogitur tardiùs ſolito quod in phlegmaſiis eſt uſitatiſſimum, interea vero particulæ rubræ ſubſidunt, ſicque purum gluten ſuperficiem occupat.

Dubius eſt profecto ſetaceorum uſus, etiamſi a quibuſdam tanta in laude habeantur; vires

enim

enim que jam propemodum fractæ ſunt, facile exinanitione auctâ qualibet penituſque exſolventur: corpus vero maxime emungitur liquaturque puris affluentiâ, ſive hoc ab effuſo ſero, ſive ut quidam autumare amant, et rationi magis conſentaneum videtur, a functione quâdam ſecretioni ſimillimâ ortum ſuum habeat; ſi quis igitur incommoda quæ certiſſimè debilitas affert, cum laudatis ſed non obviis externorum ulcerum utilitatibus bene conferat, cautus admodum ad ea confugiet.

Quæ opium habent tuſſim compeſcent, ſomnos faciles conciliabunt, ſymptomataque ſaltem ad tempus ſublevabunt, ſi prudens ea porrigas; ſin nimus inflammationi favebunt; exſcreationem imminuent, atrocioremque morbum efficient.

Balſamica, reſinoſa, oleoſa, et alia innumera expectorantia, quibus tantam fidem majores habebant,

habebant, omnino negliguntur; quippe quæ, ventriculo nocuiſſe, nihilque commodi attuliſſe, reperiebantur; multò plus utilitatis habent mucilaginoſa cum opio miſta.

Diarrhœa, jam provecto morbo, aſtringentibus et opio ſolummodo eſt mitiganda; ſed ſæpiſſime omnem curam contemnit, per intervalla recurrens, donec ad extremum exitium perveniat.

Doctrina hyperoxygenationis quæ ad variorum ſymptomatum rationem reddendam proponebatur, vix ullos habet hodiedum patronos, et minime diſcutienda ſunt hujus opinionis argumenta, quæ ad rem nihil faciunt; non mirandum eſt tamen, celeber. ejus auctorem Beddoes rerum ſpecie opinandique præjudicio deceptum, ad ea quæ doctrinæ ſuæ adverſabantur non reſpexiſſe; hoc vero compertum habemus, gas oxygenium pulmonibus

eſſe

esse irritamento, aër igitur cui parcior sit oxygenii pars, phthisicis fortasse aliquod levamen afferet: non tanta nunc habetur quanta olim fides gassibus, quæ adversus phthisin efficacissima, et artem nostram ab opprobio suo vindicatura, celebrabantur: non tamen omnis laudis vacua judicanda sunt, eorum usu fortasse mitescent ea symptomata, quæ sæpissimè nulla medicina removere potest.

FINIS.